

in birro usque ad sepulcrum S. Martini, una cum populorum turbis, portavit, et dixit, referente *Greg. Turon.*, l. 2, cap. 4: « Sicut istud vestimentum ab ignibus videtis illæsum, ita corpus meum a mulieris coitu est im- » pollutum. » Sic imperatrix Cunegunda vomeres candentes, ingemens ex necessitate in qua erat constituta et Deum suæ innocentiae testem invocans, nudo vestigio calcavit, et sine adustionis molestia secunda pertransiit. Sic monachus Vallis Umbrosæ inter duos rogos accensos transiit illæsus, anno 1067, ad probandum quod Petrus, episcopus Florentinus, esset simoniacus; *Fleury*, l. 61, n. 27. 5° Immersio in aquam frigidam; qui super aqua manebant, reputabantur rei; *Fleury*, l. 47, n. 30. 6° Ubi agebatur de terminandis litibus, contententes in singulari prælio decertare tenebantur, et victor jus obtinebat; vel ambo stabant brachiis extensis in forma crucis, dum divinum celebrabatur officium, et qui primus ex aliqua parte movebatur, causa cadebat: hæc probatio dicebatur iudicium crucis.

3° Ante singula probationum genera solemnes fiebant preces, benedictiones et Missarum celebrationes, ut videre est apud *Martène*, qui viginti ordines diversos refert, t. II, p. 930 et seq.

4° Nihilominus constat apud omnes huiusmodi probationes in se graviter esse illicitas; nam 1° pertinent ad divinationem, quatenus ad cognoscendum occultum ordinantur; 2° ad tentationem Dei, siquidem miraculum ab eo sine necessitate petebatur: ubi crimen viis naturalibus cognosci non potest, reliquendum est iudicio Dei secreta cordium scrutantis; 3° ab Ecclesia fuerunt reprobata, et Stephanus V sic habet in Decreti 2ª parte, causa 2, q. 5, can. 20: « Ferri candentis vel aquæ ferventis examinatione confessionem extorqueri a quolibet sacri non censent canones. »

5° Si ergo quidam Sancti, ut S. Brixius, sancta Cunegunda, monachus Vallis Umbrosæ, suam innocentiam aut veritatem allegatam tali iudicio miraculose probaverint, dicendum est eos ex speciali Dei instinctu sic egisse,

aut Deum eorum fide vel necessitate in qua erant inculpabiliter constituti commotum, eos a tali periculo eripere voluisse, sicut olim Danielem suscitavit ad liberandam Susannam.

6° Probatio autem per aquas amaras, cui mulier de adulterio suspecta subiciebatur in veteri Lege ex Numer. v, 12 et seq., in nova Lege non existit, nec allegari potest ad ostendendum alias probationes quas Deus non instituit esse licitas.

Punctum secundum. — De sacrilegio.

1° Sacrilegium in genere definitur: *Violatio rei sacræ*, vel rei sacræ indigna tractatio. De sacrilegio, quatenus est peccatum luxuriæ, in speciali dissertatione circa sextum præceptum agimus: nunc igitur nobis agendum est de sacrilegio aliter spectato.

2° Nomine autem rei sacræ intelliguntur persona Deo consecrata per votum aut sacri Ordinis susceptionem, locus divino cultui vel sepulturæ ecclesiasticæ destinatus, et quælibet objecta a personis et locis sacris distincta, quæ divino cultui consecrantur, vel ab Ecclesia sanctificantur, ut vasa, linteamina, reliquiæ, sacræ imagines, etc.

3° Non est dubium quin violatio rei sacræ sit peccatum; nam sancta sancte tractanda sunt. Illud peccatum ex genere suo mortale est, quia Deo infert injuriam. Potest tamen fieri veniale defectu advertentiæ, consensus, aut propter materiæ levitatem, v. g., si unus assis in ecclesia subripiatur.

4° Omissis iis quæ circa modos hoc peccatum committendi in citata dissertatione diximus, quædam tantum subjungemus de sacrilegio personali, locali et reali.

*Sacrilegium personale* locum habet quando persona Deo consecrata violatur vel peccat, quatenus est consecrata, v. g., si post votum castitatis emissum aliquid turpe dicat aut faciat, aut personam sacram ad id inducat; si clericus in sacris constitutus, monachus aut mo-

nialis percutiatur, adest etiam sacrilegium personale, propter legem Ecclesiæ id prohibentis : secus si ipse perjuret, si detrahat, furetur, occidat, etc. Olim trahere clericum ad tribunal sæculare, tributa ei imponere, erat sacrilegium personale, propter privilegium ecclesiasticum tunc existens.

◦ *Sacrilegium locale* est omnis actus quo ecclesia, capella ad divinum cultum in perpetuum destinata, vel cœmeterium polluitur, vel aliquo modo profanatur. Causas pollutionis vide in Tractatu *de Eucharistia*, 2<sup>a</sup> parte.

◦ Ad eam speciem referuntur 1<sup>o</sup> omnia quæ specialem habent cum loci sanctitate aut cum divino cultu repugnantiam, sive ex natura sua, sive ex prohibitione Ecclesiæ, quamvis locum, juxta sacrorum canonum dispositiones, non polluant, aut notorietas aliave conditio desit, ut effractio, spoliatio, incendium loci sacri, eversio altaris; 2<sup>o</sup> furtum in loco sacro etiam rei non sacræ, idque vi legis ecclesiasticæ sic se habentis, in Decreto 2<sup>a</sup> parte, causa 17, q. 1, can. 21 : « Similiter sacrilegium » committitur auferendo sacrum de sacro, vel non sacram de sacro, sive sacrum de non sacro ; » 3<sup>o</sup> conclamationes, deambulationes, mercatus, judiciorum sæcularium strepitus in ædificio sacro; non vero actus ad ipsam ecclesiam spectantes, v. g., scamnorum aliorumque sedium locatio; nec conventus sæculares, ubi rationalis subest causa et accedit episcopi licentia; sed tunc sacræ species in alium locum decentem transferendæ sunt. *S. Ligorius* dicit, n. 37, aliquam moderatam deambulationem in ecclesia aut privatam comestionem, etiam sine necessitate, non esse culpam gravem si absit scandalum. 4<sup>o</sup> Sacra Rituum Cong. per decretum 30 aug. 1701, a Clemente XI die 3 octobr. ejusdem anni approbatum, declaravit « non licere cuicumque, personis regalibus » tantum exceptis, ad ecclesias strata sibi deferri facere; « secus cessandum immediate a divinis. Quod nisi servetur, rectores cæterosque ministros ipso facto excommunicationem incurrere, eamque ecclesiam esse pro » interdicta. » *Ferraris*, v<sup>o</sup> *Ecclesia*, art. 3, n. 25 et 29.

*Sacrilegium reale* est indigna objecti sacri, a personis et locis distincti, tractatio, v. g., 1<sup>o</sup> sacramentorum invalida confectio, administratio aut susceptio cum peccato mortali; 2<sup>o</sup> vasorum et instrumentorum sacrorum profanatio; ut calice uti in convivio, ornamenta benedicta ad usus profanos applicare; non vero ornamenta non benedicta, ut ecclesiæ tapetes, candelabra, pelvim et alia quæ mediate tantum divino cultui serviunt, nisi ex contemptu saltem implicito id fiat, ut si semper vel indifferenter ea sic applicarentur : ita *Busenbaum*, citans *Tamburinum*; idem affirmat dicendum de candelis, ramis, aqua, incenso et similibus benedictis, quia in modicis benedictionibus istis non agitur cum tanto rigore ab Ecclesia, ut patet in pane, ligno, carbonibus benedictis, etc.; 3<sup>o</sup> indigna sacrarum imaginum et reliquiarum tractatio; 4<sup>o</sup> Scripturæ sacræ abusus, ad stabiliendos errores, ad exprimendas res turpes, verba ejus ad scurrilia, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superstitiones... divinationes, sortes, libellos famosos, etc., detorquere, ut ait Concil. Trid., sessione 4, in fine : fragmenta autem librorum in quibus verba sacra inscribuntur, ad profanos usus adhibere sine contemptu, non est sacræ Scripturæ profanatio nec proinde sacrilegium; 5<sup>o</sup> bonorum Ecclesiæ invasio vel ablatio, piorum legatorum suppressio, et jurium Ecclesiæ defraudatio. 6<sup>o</sup> Fragmenta vestium sacrarum in usus profanos non sunt convertenda; sed comburenda, ut in Tractatu *de Eucharistia*, 2<sup>a</sup> parte, diximus. 7<sup>o</sup> Furtum reliquiæ etiam parvæ grave est sacrilegium, nisi præsumatur dominum non fore valde contristatum. Ita plures apud *S. Ligorium*, lib. 3, n. 45. 8<sup>o</sup> Qui tenetur ex officio curare ut vasa sacra, corporalia aliaque similia sint munda et bene ordinata, sacrilegii fit reus si ea relinquat immunda. 9<sup>o</sup> Quidam dicunt omne peccatum die Dominica vel festiva commissum, malitiam sacrilegii ex circumstantia diei contrahere; sed alii communius negant, nisi notabilis irreverentia cultui divino irrogetur; ut si quis die sexta Majoris hebdomadæ exhiberet comedias,

indicaret saltationem, etc. Sic cum aliis multis *S. Ligerius*, l. 3, n. 46.

5° Exprimenda est in confessione species sacrilegii, an sit personale, locale, vel reale, et ejus materia; quia ex circumstantiis personæ, loci et objecti sæpe nova additur malitia, vel augetur, et sic qualitas aut gravitas peccati dignoscitur.

Punctum tertium. — *De simonia.*

Simoniæ nomen ortum habet a Simone Mago, qui videns Apostolos manus imponentes et Spiritum sanctum conferentes, mirabilem hanc virtutem vili pecuniæ pretio emere voluit. Hoc vitium diu antea tamen existit, siquidem videmus in Scriptura sacra Balaam a rege Balac conductum ad maledicendum populo Israel, Num. xxii, 7; Giezi famulum Elisei talentum argenti et vestes mutatorias petentem a Naaman pro sanitate divinitus recuperata, IV Reg. v, 22; Jasonem multa talenta offerentem regi Antiocho pro summo sacerdotio, II Mach. iv, 8; Judam Christum vendentem, etc.

Breviter dicturi sumus 1° de definitione, divisione et malitia simoniæ; 2° de variis modis quibus committi potest simonia; 3° de causis ab ea excusantibus; 4° de pœnis contra simoniacos decretis; 5° de obligatione restituendi ex simonia nascente; 6° parvam de beneficiis appendicem subjungemus.

1° *De definitione et divisione simoniæ.*

1° Simonia communiter definitur, cum *S. Thoma*, 2 2, q. 100, art. 1: *Studiosa voluntas emendi vel vendendi pretio temporali aliquid spirituale vel spirituali annexum.*

Dicitur 1° *studiosa voluntas*, quia nullum potest esse peccatum sine actu directo vel indirecto voluntatis liberæ seu studiosæ.

Dicitur 2° *emendi vel vendendi*; quibus verbis intelli-

tur omnis contractus non gratuitus, sive sit nominatus, sive non nominatus, v. g., do ut des, facio ut facias.

Dicitur 3° *pretio temporali*, id est pecunia aliave qualibet re pretio æstimabili. Triplex hujusmodi pretium distinguitur, scilicet munus a manu, munus ab obsequio et munus a lingua. Munus a manu est quælibet res mobilis vel immobilis pretio æstimabilis et indebita; munus ab obsequio est quodvis ministerium indebitum in rebus temporalibus, et præstitum vel præstandum, ut si episcopus conferat canonicatum clerico quia gessit vel gesturus est ejus negotia; munus a lingua, per quod intelliguntur laudes, favores, intercessiones, preces et alia similia, ut si des alicui pecuniam ut te coram episcopo laudet, pro te intercedat, etc.

Dicitur 4° *aliquid spirituale*, id est, res vel actio sacra ad cultum Dei vel animæ salutem ordinata, ut gratia, virtutes, oratio, sacramenta, aut alio modo supernaturalis, ut omnes actus jurisdictionis ecclesiasticæ, sanatio miraculosa, etc.

Dicitur 5° *vel ei annexum*, id est, quod ad spirituale ordinatur, vel ab illo pendet, vel ei conjungitur, ut jus ad officium ecclesiasticum præsentandi, labor administrationi sacramentorum necessarius, proventus beneficii.

2° Simonia quam modo definivimus est juris divini naturalis et positivi: prohibetur quia mala est in se, ut emptio vel venditio etiam virtualis vel implicita rei sacræ qualis, v. g., hostiæ consecratæ, sancti chrismatis, sacramenti, reliquiæ, etc. Alia est simonia juris ecclesiastici, et est quælibet pactio etiam implicita, circa spiritualia aut annexa spiritualibus, a lege ecclesiastica intuitu religionis prohibita. Pactio hujusmodi malitiam simoniæ non habet ex natura sua, sed tantum ob Ecclesiæ prohibitionem intuitu reverentiæ erga res sacras factam. Lex enim habet vim efficiendi ut ipsius objectum sit materia illius virtutis ex cujus motivo fertur, inquit P. Antoine: sic communio a non jejuno facta est sacrilegium, quia Ecclesia, ex motivo reverentiæ, vetuit sumptionem cujuslibet rei ante communionem. Unde, v. g., Ecclesia prohibens

permutationem beneficiorum ob periculum simoniæ, et sub pœnis in veros simoniacos latis, efficit ut hæc permutatio, privata auctoritate facta, ad simoniam pertineat.

Simonia in genere dividitur in mentalem, in conventionalem, in realem et in confidentialem. Simonia mentalis, ut ordinarie accipitur, non est tantum propositum internum aliquid spirituale aut spirituali annexum pro temporali vel aliter contra Ecclesiæ legem dandi aut accipiendi, sed actio externa facta ex intentione simoniaca exterius non apparente, v. g., si quis obsequiose serviat episcopo *principaliter* ex intentione canonicatum vel alium titulum ecclesiasticum obtinendi.

Simonia conventionalis ea est quæ fit cum externa conventionem expressa vel tacita dandi vel accipiendi quidquam spirituale aut spirituali annexum pro temporali, aut aliter contra Ecclesiæ legem. Potest esse pure conventionalis, si nempe, pactioe facta, nihil traditum fuerit; et semirealis, si videlicet ex una parte tantum objectum promissum, sive spirituale pro temporali, sive temporale pro spirituali traditum fuerit.

Simonia dicitur realis quando ex utraque parte est completa per reciprocam traditionem, saltem inchoatam, spiritualis aut spirituali annexi, pro temporali aut aliter, contra Ecclesiæ prohibitionem.

Simonia confidentialis in eo consistit, ut quis postulatione, commendatione vel alia ratione, alteri procuret beneficium, v. g., episcopatum, canonicatum, parochi officium, cum pacto ut titularis pensionem vel aliquos fructus ex eo procuranti vel aliæ personæ præstet, aut ipsum beneficium ad talem personam transmittendum curet, demissione in tempore opportuno, rogatione aut alia via. Dicitur confidentialis, quia procurator bonæ fidei secum pactizantis confidit.

3° Simonia est peccatum religioni oppositum et gravissimum, idque patet 1° ex Scriptura sacra, nempe ex verbis Christi ad Apostolos, Matth. x, 8 : *Gratis accepistis, gratis date*; et ex verbis B. Petri ad Simonem Magum respondentis, Act. viii, 20, 23 : *Pecunia tua tecum sit in*

*perditionem... in felle enim amaritudinis et obligatione iniquitatis video te esse.* Hæc verba grandem evidenter significant iniquitatem; 2° ex jure canonico; multa enim citari possent concilia, multa summorum Pontificum decreta, et in primis Decret. 2<sup>a</sup> part., causa 1, q. 1, can. 5, 7, 21 et 27, ubi dicitur simoniam esse « piacularè flagitium, execrabile flagitium; simoniacos comparandos » esse Judæa proditori, qui Judæis Dei occisoribus Christum vendidit, et omnia crimina ad comparisonem simoniacæ hæresis quasi pro nihilo repufari; » 3° ratione; sola quippe natura dictat summum esse malum res spirituales, de liberali manu Dei pendentes, omnia temporalia incomparabiliter superantes, arbitrio hominum ac æstimationi eo modo subicere. Ergo.

4° *Notandum* simoniam juris humani seu ecclesiastici per legitimam summi Pontificis dispensationem tolli posse; nam summus Pontifex a lege ecclesiastica dispensare potest: at, lege sublata, tollitur objectum simoniæ juris ecclesiastici. Verum malitia simoniæ juris naturalis et divini nulla dispensatione aut concessione tolli potest, quia in natura rerum fundatur. Nec in ea datur parvitas materiæ; quantumvis enim parva sit res spiritualis quæ venditur aut emitur, gravis injuria Deo inferitur.

Vix etiam concipi potest quod in simonia juris ecclesiastici dari possit materiæ parvitas. Attamen quidam affirmant ut probabile, et rationem afferunt quod in ea simonia non accipiatur temporale tanquam rei spiritualis pretium, sed contra Ecclesiæ prohibitionem: peccatum igitur est directe contra Ecclesiæ præceptum, in quo dari potest materiæ parvitas.

2° *De variis modis quibus simonia juris naturalis seu divini committi potest.*

Est simonia juris divini, naturalis et positivi in sequentibus casibus:

1° Dare vel accipere pecuniam aut quid pretio æstimabile tanquam pretium sacramentorum, sacramentalium,

sacrarum reliquiarum, pro quavis potestate spirituali, ordinis vel jurisdictionis, pro aliquo ejus actu, pro usu gratiarum gratis datarum, v. g., pro applicanda indulgentia crucifixis, coronis deprecatoriis, pro precibus, divinis officiis, Missa celebranda, pro concione pronuntianda et etiam præparanda, pro catechismo aliave functione spirituali: nam hæc omnia ad finem supernaturalem ordinantur: pretio igitur æstimari non possunt quin vilescant et gravis injuria Deo inferatur. Contra vero pretium statuere, dare, aut accipere pro docenda theologia, explicanda Scriptura sacra, non est simonia, quia hæc ad finem supernaturalem non primario ordinantur.

2º Aliquid pretio æstimabile dare aut accipere pro beneficio ecclesiastico, ut canonicatu vel parochi titulo; vel pro officio spirituali cui annexum est temporale, v. g., pro officio vicarii generalis, capellani in collegio vel in monasterio, etc.; nam beneficia et illa temporalia ad obeunda munia ecclesiastica sunt constituta, ut ait *Bonifacius VIII*, in Sexto Decret. tit. 4, c. ultimo, et Conc. Trid., sess. 21, de Reform. c. 3: ergo is solus habet jus ad illa percipienda, cui committitur potestas officium spirituale exercendi. Unde episcopus tale beneficium vel officium alteri determinato conferre non tenetur; verum si conferat, gratis conferre obligatur. Si objiciatur calicem consecratum vendi posse ratione materiæ, respondetur admitti non posse paritatem, quia calix suum habet valorem independentem a consecratione et ante consecrationem, beneficium vero aliudve temporale emolumentum pro officio spirituali constitutum, ab ipso spirituali officio separari non potest. Unde facile concipitur quod in venditione calicis solum temporale sit objectum contractus; non autem videtur quomodo, vendito beneficio vel jure ad temporale emolumentum, non ipsum venderetur spirituale. Ergo.

3º Quælibet transactio in spiritualibus rebus vel in beneficiis pro aliquo temporali pretio facta, v. g., pensio alimentaria, quædam munera, obsequia, oblectamenta stipulata et vi conventionis debita, aut etiam quæ collationis vel acquisitionis beneficii aut spiritualis officii ve-

objecti fuissent motiva. Patet ex dictis; tunc enim datur temporale pro spirituali.

4º Aliquid dare vel exigere tanquam pretium admissionis unius personæ ad ingressum monasterii, ad induendum novitiatus habitum, ad emittenda vota; quia hæc sunt spiritualia, quæ pro temporali commutarentur. Nec aliquid exigere, dare aut accipere liceret titulo sustentationis, si monasterium sufficientia possideret bona; nam, ex mente fundatorum et Ecclesiæ constitutione, jus ex bonis monasterii vivendi annexum est professioni religiosæ, sicut jus percipiendi fructus beneficii annexum est officio spirituali.

5º Post collatum spirituale aut spirituali annexum, aliquid, sine antecedente pacto, exigere, dare aut accipere, ut pretium, mercedem vel compensationem; nam ipso facto spirituale pretio temporali æstimatur. Unde SS. Patres, et jus canonicum, Decretal. l. 4, tit. 3, cap. 39, actionem Giezi pecuniam pro curatione lepre miraculose facta petentis arguunt simoniæ.

6º Aliquid dare vel accipere pro locatione rei sacræ: nam res sacræ sic locata, vel ad usum sacræ adhibetur, et tunc daretur spirituale pro temporali: vel ad usum profanum, et ejus sanctitas violaretur.

7º Aliquid exigere, dare aut accipere pro labore ad exercendam functionem sacram necessario et intrinseco, v. g., pro tempore requisito, pro fatigue subeunda in cantando, concionando, ad ægrotum eundo ut sacramenta ei conferatur, etc.; nam hujusmodi labor vendi non potest, quin res spiritualis, cui necessario annectitur, vendi censeatur. Idem dicendum est de actionibus ad functionem sacram necessario prærequisitis, puta de paratione et studio ad concionem.

8º Dare vel accipere pretium pro absolutione a peccatis vel a censuris, pro dispensatione in voto, juramento, impedimento matrimonii, proclamatione bannorum, irregularitate, etc.; reipsa enim daretur temporale pro spirituali. Item omissio spiritualis officii pro temporali dato vel promisso, est simoniaca, quia tunc judicatur esse qui

dam potestatis spiritualis usus ob pretium determinatus. Vide *S. Ligorium*, l. 3, n. 97.

9° Beneficium vel officium ecclesiasticum dare vel procurare consanguineo, affini vel amico, propter carnalem vel naturalem affectionem, peccatum quidem esset, propter recti ordinis inversionem; sed non foret simonia, quia nihil temporale pro spirituali traditur nec promittitur: at si conferens vel procurans speraret fore ut inde fieret honoratior, potentior, opulentior, vel ut familia ejus evaderet beatior, etc., simonia esset, siquidem aliquid pretio aestimabile pro spirituali acquireretur.

10° Temporale pro spirituali promittere sine animo præstandi est gravis deceptio, et ad simoniam mentalem alterius cooperatio. Si quis officium spirituale pro temporali promisso intendat obtinere, est simonia saltem mentalis. Item suscipere ordines principaliter ob emolumenta temporalia quæ sperantur.

### 3° De modis quibus simonia juris ecclesiastici committitur.

Sæpe in eodem actu invenitur simonia juris divini et simonia juris humani, quia Ecclesia ex motivo reverentiæ prohibet actus jure divino naturali et positivo jam prohibitos. In sequentibus autem casibus est simonia tantum juris humani:

1° Beneficia commutare sine auctoritate prelati, nullo interveniente pretio: si interveniret pretium, esset simonia juris divini, ut supra diximus; non interveniente pretio, non datur spirituale pro temporali, ac proinde non est simonia, nisi propter Ecclesiæ prohibitionem in Decretal. l. 8, tit. 10, cap. 5, contentam. Unde, ex eodem capite, accedente episcopi consensu, permuatio fieri potest.

2° Beneficia resignare cum pacto ut resignatarius suum beneficium tertio cedat, vel cum confidentia accessus aut regressus quæ in Gallia locum nunc habere non possunt. Concil. Trid., sess. 24, de Reform. cap. 7.

3° Aliquid dare vel accipere, non pro ipso examine,

quod esset simonia juris divini, sed occasione examinis ad curam pastoralem, v. g., quando parochi nominantur in concursu, ex Concil. Trid. sess. 24, de Reform. cap. 18.

4° Aliquid accipere etiam sponte oblatum occasione collationis Ordinum vel litterarum ordinationis, juxta dispositionem Concil. Trid., sess. 21, de Reform. cap. 1. In quibusdam locis tamen aliquid exiguum accipi solet, ab episcopi secretario, occasione litterarum ordinationis. Dicimus occasione collationis Ordinum vel litterarum ordinationis; si quid enim pro ipsis Ordinibus vel litteris daretur aut acciperetur, simonia esset juris divini, cum spirituale pro temporali concederetur.

5° Vendere vel emere officium procuratoris vel economi alicujus ecclesiæ, sub quo nomine *Fagnanus* intelligit etiam sacristam, ex Decreto, 2<sup>a</sup> part., causa 1, q. 3, cap. 8.

6° Venditio sancti chrismatis, etiam secundum suam speciem physicam spectati, ut in Decreto, 2<sup>a</sup> part., causa 1, q. 1, can. 102, statuitur. Usus tamen receptus videtur ut ecclesia cathedralis aliquid ab ecclesiis particularibus accipiat pro compensandis sumptibus quos in emenda materia consecranda fecit.

7° Venditio coronarum vulgo sanctæ Brigittæ benedictarum, ex bulla Clementis XI, diei 22 septembris 1714, et decreto S. Cong. Indulg. a Bened. XIV die 9 februarii 1743 confirmato. Æstimamus tamen eum qui coronas pro quibusdam personis emisset, easque sacerdoti approbato benedicendas presentasset, restitutionem pretii a se soluti recipere posse, quia non esset præcise eas vendere.

### 4° De causis seu titulis a simonia excusantibus.

Quamvis nunquam liceat, ne quidem per summi Pontificis vel concilii generalis dispensationem, aliquid temporale pro spirituali dare aut accipere, fieri tamen potest ut quidquam temporale occasione spiritualis licite accipiatur, videlicet ex aliis titulis simoniæ extrinsecis.